



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**M. Antonii Marsilii Colvmae, Bononiensis, I. C.
Archiepiscopi Salernitani, De Ecclesiasticorum Reddituum
Origine, & Iure Tractatvs**

Colonna, Marcantonio

Venetijs, 1575

Cap. XVI. Quibus temporibus plures religiosorum Regulæ &
Congregationcs à sede Apostolica deinde approbatæ, exordium
sumpserint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61495)

statuerit, ab ipsis omnino probatum censeri debet. Hæc omnia eò magis comprobantur, quòd alicui præclaro uiro unius tantum beneficii redditus ad eius uitam honestè sustentandam aliquando non sufficiunt. Nec cogendus est, ut uno loco resideat, si alibi commorans, uniuersali

33 Ecclesiæ utilior esse potest; † Quare nemo non uidet, necessarium fuisse commendarum usum, consuetudines, Ecclesiæ situs, & personæ qualitate perpensa, arg. glo. cap. r. 21. q. 1. c. erit autem, 4. dist. c. Abbate, de uerb. signi. glo. c. extirpandæ, de præben. Vt quod ijs, qui de Christiana re publica benemeriti sunt, aliunde tribui non poterat, illud per eas præstaretur.

A R G V M E N T V M.

Quibus temporibus plures religiosorum Regula, & Congregationes à sede Apostolica deinde approbata, exordium sumpserint.

R E R V M S V M M A E.

- 1 *Varia hospitalium nomina.*
- 2 *Religiosorum conuentus multi, habent redditus Ecclesiasticos, non tamen dicuntur habere beneficia.*
- 3 *Regula Monachorum omnes ad quatuor rediguntur.*
- 4 *Prima Regula est Sancti Basilij.*
- 5 *A regula Sancti Basilij fluxerunt plures familia.*
- 6 *Cluniacensis.*
- 7 *Camaldulensis.*
- 8 *Vallis umbrosæ.*
- 9 *Grandimontensis.*
- 10 *Congregatio Humiliatorum ab exulibus Mediolanensibus cæpta.*
- 11 *Humiliati aliàs condemnati, à Lucio Papa, suppressi in totum*

12. *Ordo à Pio V. num. 12.*
- 13 *Secunda regula est Sancti Augustini.*
 - 14 *Ab ea fluxerunt congregatio Sancti Saluatoris,*
 - 15 *Ordo militiae Sancti Iacobi de Spata,*
 - 16 *Ordo Canonorum regularium,*
 - 17 *Ordo Prædicatorum,*
 - 18 *Ordo Carmelitarum,*
 - 19 *Ordo monachorum Sancti Hieronymi.*
 - 20 *Tertia regula est Sancti Benedicti. ab ea*
 - 21 *Congregatio Sanctæ Iustine,*
 - 22 *Cistercienses,*
 - 23 *Cælestini.*
 - 24 *Quarta regula est Sancti Francisci.*
 - 25 *Sub ea sunt conuentus Minorum,*
 - 26 *Cappucinorum,*
 - 27 *Ordo Monialium Sanctæ Clare.*
 - 28 *Iesuati à quo instituti.*
 - 29 *Societas Clericorum regularium nominis Iesu.*
 - 30 *Theatini.*

CAPVT DECIMVMSEXTVM.



NONIAM religiosæ domus permultæ sunt, vi-
 rorumq; & mulierum cœtus, qui Ecclesiasti-
 cis quidem redditibus fruuntur, nec tamen be-
 neficia obtinere dicuntur, c. si quis omne, 1. q.
 7. Clem. 2. de præbend. & Clem. 2. de relig. domi. † Non
 ab re fore existimauimus, de his aliqua hîc subijcere,
 quorum à beneficiis haud absimilis ratio est, cuius gene-
 ris sunt, quæ varijs nominibus Iustinianus appellat Bre-
 photrophia, Nosocomia, Xenodochia, Orphanotrophia,
 Gerontosomea, Orthodoxochia, Procotrophia, l. Orpha-
 notrophos, & toto tit. C. de sacrosanct. Eccle. † Hoc co-

dem genere censentur conuentus ij Religiosarum personarum, qui instituti sunt sub uariis Sanctorum regulis. Quorum, quia frequentissimus usus est, non erit (arbitror) alienum de iis hoc in loco fusiùs aliquanto dicere.

3 † Ad quatuor potissimùm regulas regulæ istæ omnes redi-
 4 guntur. † Prima est Sancti Basilij, qui Græcorum Monachorum congregationem instituit, quam deinceps in Occidentem D. Benedictus ad tria, paupertatis, castitatis, ac obedientiæ uota reduxit; Idq; sub Totila Baduilla, Gothorum Rege Septimo, circiter annum Christi 542. quorum & supra mentio habita est. † Ab ea fluxere quàmplures deinde familiæ, † ut Cluniacensis in Gallis ab Othone Muscio inchoata paulò ante Ioannis XI. creationem
 5 annum Christi circiter 913. † Camaldulensis, à S. Romualdo in Italia instituta post annum salutis circiter
 6 1012. sub Benedicto VII. † Vallis Umbrosæ à Sancto Ioanne Gualiberto, in Italia, sub Ioanne XIX. anno Christi 1030. † Grandimontensis in Gallia, à Beato
 7 Stephano constituta, sub annum 1076. † Congregatio Humiliatorum, cui ab exulibus Mediolanensibus initium datum fertur, sub Calixto III. eo, inquam, Calixto, qui in schismate contra Alexandrum III. fuit electus circiter annum Christi 1170. quæ sub Innocentio III. anno
 8 Christi 1200. confirmationem accepit; † eos condemnatos à Lucio Papa, quòd iurantes damnarent, ac deinde à Clemente restitutos Bernardus Glosator tradit, in cap.
 9 olim, primo, de resti. spol. uer. Humiliatis: † tandem uerò sub fœ. re. Pio V. sic temporum exigente conditione, prorsus extincta, & religio est, & aboleta, quod in eius
 10 suppressionis diplomate latiùs est uidere. † Secunda ex quatuor regulis est Eremitarum S. Augustini, ab eodem multis sanctissimis præceptis instituta, postea sub Innocentio III. circiter annum Christi 1255. confirmata;
 11 à qua

- 14 † à qua Congregatio Sancti Saluatoris Bononiæ, anno
 15 1409. Sub Gregorio XII. fluxit. † Et ordo Militiæ San-
 cti Iacobi de Spata, in Hispania, authore Petro Ferdinan-
 16 do, sub Calixto III. anno 1470. emanauit. † Ad hanc ordo
 Canonorum Regularium refertur, Lucæ apud Sanctum
 Fridianum, & Romæ ab Alexandro II. anno Christi
 1062. restitutus, ac Mantuæ in Ecclesia Sancti Marci,
 17 anno Christi 1231. postea institutus. † Ordo quoq; Præ-
 dicatorum à Sancto Dominico, anno Christi 1205. in-
 choatus sub Ioanne IX. ab Honorio deinde III. anno
 18 Christi 1216. confirmatus fuit. † Ordo Carmelitarum,
 ab Alberto Hierosolymitano Patriarcha restitutus, ac
 sub Ioanne IX. opera Fr. Bertoldi, anno Christi 1205.
 19 reformatus: † Ordo Monachorum Sancti Hieronymi,
 qui & ipsi sub regula Sancti Augustini degunt in Hispa-
 nia, sub Urbano V. anno Christi 1365. institutus.
 20 † Tertia regula est Sancti Benedicti, sub qua multi Mo-
 nachi militant, ac præcipuè ij, quos nigros uulguè dicit;
 21 † qui ab antiqua uiuendi regula aliquando relaxati, refor-
 mati fuerunt in speciali Congregatione, uulgò Sanctæ Iu-
 stinæ appellata, quæ Congregatio à Ludouico Barbo Ve-
 neto, sub Gregorio XII. Veneto, anno Christi 1409.
 instituta ab Eugenio IIII. anno Christi 1430. confir-
 22 mata fuit: † Florent sub eadem Cistercienses multis pri-
 uilegijs à sede Apostolica ornati; quos & D. Bernardus
 23 mirum in modum dilatauit. † Cælestini præterea nuncu-
 pati à Petro Cœlestino Papa eius nominis Quinto, qui
 24 ordinem eundem fuerat professus. † Postrema regula
 est Sancti Francisci anno Christi 1210. sub Innocentio
 Tertio coepta, demùm verò post ordinem Prædicatorum
 ab Honorio III. circiter annum Christi 1216. confirma-
 25 ta, † sub qua Conuentus Minimorum degunt, quorum
 ordo à Sancto Francisco de Paula Calabro institutus, à

- 26 Sixto III. primùm anno 1473. confirmatus fuit. † Capit
 cinorum etiam, qui in extrema mendicitate maxima cū
 uniuersi Orbis admiratione sanctissimè degunt, quorum
 & sacrum Concilium Tridentinum meminit Sess. 25. ca-
 27 pi. 3. de reform. † Sub hac regula militat Ordo Monia-
 lium Sanctæ Claræ, D. Francisci conciuis, quæ ab eo edō
 cta, eum Ordinem auspicata fuit, anno Christi circiter
 1215. quod Volaterranus aduertit, lib. 21. suarum Histo.
 ac deinde ab Alexand. III. anno Christi 1255. in Sācta-
 rum Virginum numerum est relata, ut testis est inter a-
 lios Genebrard. in sua Chronologia. Manarunt ex eis
 dem regulis, & aliæ, Spiritu sancto inspirante, celeberrimæ,
 ac maximi in Religione fructus congregationes,
 28 † ueluti Iesuatorum Senis à Ioanne Columbino inchoā-
 ta, atque ab Urbano V. circiter annum Christi 1365. con-
 29 firmata. † Clericorum Regularium Societatis Iesu ab
 Ignatio Loyola Hyspano uiro sancto instituta, quam san-
 ctissimæ memoriæ Paulus III. anno Christi 1540. confir-
 mauit, & de ea meminit statuendo Concil. Trident. Sess.
 30 25. cap. 16. de Regularibus † Clericorum etiam Regula-
 rium, Theatinos uocant, quos uitæ sanctimonia, morum
 puritas, & in orando deuotio plurimum commendat,
 quam Ioan. Petrus Carafa deinde Pontifex Summus
 Paulus III. appellatus fundauit. E quibus insigne ueluti
 sydus emicans Paulus de Aretio ob miram eius sancti-
 tatem, & doctrinam, uel inuitus in amplissimum Cardi-
 naliū Collegio à Sanctissimo Pio V. fuit adscitus. Flo-
 ruit, floretq; ac uiget tā sanctis germinibus Ecclesia Spi-
 ritus Sancti rore assiduè irrigata, in qua quotidie ad Vr-
 bis cœlestis illius exemplar uiui lapides, ac gemmæ ritè
 suis coaptantur locis; & quàmuis uaricolor sit exterior
 apparatus, nihilominus qui sub eius gremio Sanctis Reli-
 gionis statutis Deo militant, eò tantum tendunt, ut no-
 men

men Domini laudent in idipsum, David Psal. 33. Ex his, quibus, & quomodo Ecclesiastica beneficia, Ecclesiasticiq; redditus conferri soleant, ac in quos eorundem distributio partita sit, constare potest: sed quoniam non ea passim omnibus conferenda sunt, quæ Deo potissimum sunt pia deuotione dicata; iccirco variis Synodis, atque Conciliis celebratis multa requisita sunt in eis, qui admittendi essent ad eiusmodi redditus obtinendos, uel promoueri cuperent ad sacerdotium, cuius præcipuè causa instituti sunt. De quibus omnibus prout res ipsa postulat, mox dicemus.

A R G V M E N T V M.

Dignitate Sacerdotes, uel ante hac semper cæteris hominibus præstitisse, maximoq; illos in pretio apud omnes penè nationes habitos esse.

R E R V M S V M M A E.

- 1 Sacerdotis munus eximium est, atque præclarum.
- 2 Sacerdos secularis monacho cuius præcellere debet.
- 3 Plato quanti faciat sacerdotes.
- 4 Rex apud Aegyptios non potest sine sacerdotio imperare.
- 5 Sacerdotes apud Aegyptios secundum post Regem locum tenent.
- 6 Panchei populi, Sacerdotes omnium diues constituebant.
- 7 Galli Sacerdotum, quos Driudas appellabant, arbitrio omnia committebant.
- 8 Apud Germanos idem honor habebatur Sacerdotibus, ac Regibus.
- 9 Aethiopum Reges semper Sacerdotes erant.
- 10 Melisus, Cretensium Rex, primus apud eos Dijs sacrificauit.
- 11 Romani legum interpretandarum potestatem Pontificibus concesserunt.